Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1161
Quelle:
Copyright:

passa est sub decio Imperatore In Prouintia Sicilię Non. Febr. in Urbe Catenensi. Initium, quod apud alios altius: *Quintianus consularis siciliae audiens sanctam opinionem uirginis deo dicatę agathę* &c. Finis: *quod a periculo mortis et incendii merita eos sanctae martyris liberassent. Cui est honor* &c. Legitur apud *Mombritium* T. I. quem cum 16. *Codd.* contulere *Bollandiani* T. I. *Febr.* p. 615.

XXXIX. *fol.* 111. p. 2. *Incipit Passio Sanctae Ceciliae que passa est X. Kl. Decembr.* Initium: *Humanas laudes et mortalium infulas uidimus aut aere inciso conscriptas* &c. Finis: *In qua beneficia domini exuberant ad memoriam beatae caeciliae usque in hodiernum diem. Et est nomen domini benedictum* &c. Extat apud *Mombritium* T. I. Re eadem, phrasi passim diversa legitur apud *Surium* ad 21. *Novembr.* qui *Sim. Metaphrasten* refictorem potius dicere debebat, quam autorem.

XL. *fol.* 127. p. 2. *Incipit Passio Sanctae Luciae Uirginis.* Initium: *Cum per uniuersam prouintiam beatissimae uirginis agathę fama crebresceret et syracusanus populus* &c. Finis: *In eodem loco fabricata est sancti nominis eius basilica in quo orationis eius florent nunc et semper* &c. Habet *Surius* ad diem 13. *Decembr.* ex antiquissimis, ut ait, Codicibus; poterat etiam e T. II. *Mombritii* describere.

XLI. *fol.* 131. *Incipit Passio Sanctae Columbae Uirginis.* Initium: *In diebus illis adueniens Aurelianus imperator de partybus orientis* &c. Indicata jam alibi. Sed in praesenti *Cod.* perlecto *fol.* 131. transeundum est ad *fol.* 140. ita Compactor ordinem turbavit.

XLII. *fol.* 132. Sermonis *de Annuntiatione B. V.* ut videtur, Fragmentum, unde rursus *Folium* unum alterumve excidisse liquet. Initium est: *quod principes huius seculi latuit, Demonem non latuit, qui in euangelio loquebatur: Uenisti huc ante tempus torquere nos scimus te qui sis filius dei* &c. Et paullo post: *Haue inquid gracia plena quod grece dicitur.* Κεχαριτωμν. *Ubi in scripturis alibi legerem non recordor* &c. Et deinceps: *Uirtus domini saluatoris et cum his est, qui orbe nostro in britania diuiduntur, et cum his qui in mauritania* &c. Et ad finem: *tribuitque consortium fortitudinis suae etiam huic coetui nostro atque conuentui quo ut et singuli mereamur accipere, Deprecamur dominum ihesum cui est honor* &c. Neque Fragmenti hujus, neque Sermonis sequentis Autor mihi notus est.

XLIII. *fol.* 133. Inscribitur hic Sermo: *Item unde Supra.* Sed nullo negotio observat Lector, non de *Annuntiatione*, sed de *Visitatione Mariae* rem esse. Initium: *De eo quod scriptum est. Exurgens autem con* (sic) *festinatione uenit in muntana usque ad*